



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Catalogus Episcoporum Hildesiensium

Letzner, Johannes

Hildesheim, [ca. 1690]

XXVII. Harbertus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64252](#)

more loci aut tabe putrescentis corporis, sed integrum & illæsam hodie dum perdurare. Obiit tandem Berno Anno 1198. Octavo Episcopatus anno. Sepultus in navi Cathedralis Ecclesiæ.

XXVI. CONRADUS I. Ex illustri Comitum Familia, vel de Querfurdt, ut sentit Letznerus, vel Reinstein aut Rabenspurg; ut vult Bruschius, S. R. I. Cancellarius, vir literatus & facundus, cum Imperatore Friderico Barbarossa Anno 1189. profectus est in expeditionem Hierosolymitanam, cumque is in Armenia mersus in amne deficeret, Fridericus Filius Imperatoris & Conradus Cancellarius curam exercitus suscepere, & in Terra sancta rem diu sustinuere. Sub ejus ductu inchoatus est Ordo Teutonicorum Militum Divæ MARLÆ, initium facientibus Civibus Bremenibus atque Lubecensibus. Krantz. l. 7. Metrop. c. 9. Resignato subinde Episcopatu Lubecensi, Conradus Hildesiensem adiit Anno 1198. ac postea Herbipolensem, suasu Philippi Regis, Sueviæque Ducis. Vir fuit summæ apud omnes authoritatis, justi & æqui amantissimus, prædonum latronumque osor summus. A duobus Equitibus auratis, in Francia Orientali, ob facinus aliquod ab ipso reprehensis, ex insidiis inopinatò imperfectus, Anno 1203. 3. Decembris, summo omnium luctu in Chorum Basilicæ deportatus & ibidem sepultus est.

XXVII. H A R B E R T U S Ex Familia Nobilium de Bevelde per gradus Officiorum Canonicorum, Cantoris, Præpositi, ad apicem Episcopatus concendit; ob raras corporis & animi dotes, spemq; eximiam

miam de illo conceptam, à Clero unanimi consen-
su electus, Proceribus & populo contradicente, quod
partibus Regis Philippi adhæreret. Oppignorata
Ecclesiæ bona redemit, damna compensavit, redi-
tus auxit decimis & prædiis, atque excessit e vivis
circa Annum 1208. 21. Martii, juxta Altare S. Ca-
tharinæ tumulatus.

X X V I I I . **SIFFRIDUS** Vir religiosus,
longè suavissimus atq[ue] mitissimus, iisq[ue] donis & vir-
tutibus ornatus, quibus omnium animos in sui a-
morem & admirationem raperet; in gratiam Ot-
tonis Imperatoris ad Insulam accersitus, Episcopa-
tum adiit Anno 1211. Gessit decehnio, dimisit
Anno 1221. Septennio denique reliquo, vitam pri-
vatam agens ad ultimam luctam enixè se compara-
vit, eaque feliciter defunctus est Anno 1227. 12. No-
vembris, ante aram D. Petri terræ mandatus; variis
modis de Ecclesia Cathedrali optimè meritus.

X X I X . **C O N R A D U S II.** Natales traxit
e stemmate Nobilium de Reisenberg in Wederavia,
ob insignem doctrinam laureâ Doctorali Parisiis con-
decoratus; singulari suâ facundiâ permultos ad ca-
stra contra Hæreticos Albigenses repullulantes at-
traxit, qui duce Simone Comite Montfortio Anno
1213. memorandam retulere victoriam, dum octin-
genti Equites & mille Pedites fuderunt, fugaruntq[ue]
centum & viginti Albigensium millia. Conradus
inde ad Ecclesiasticum Ordinem transiit, primūm
Canonicus Moguntinus, tum Decanus Spirensis,
ac deniq[ue] Hildeliensis Episcopus: neque unquam à
belli sacri contra Saracenos & Albigenses promo-
vendi